N. O. Haliegius.

Libellus
de
patefactione divina.

Hafn., 1585.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

B. D. I 324. L. N. 710.
4-173
4°
Box
ex 2
LN 710
ex. 2
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kaz Hólgs eks.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

LIBELLVS DE PATEFACTIONE DIVINA CARMINE HEROICO.

AVTORE
NICOLAO OLAO HALuegio Canonico Roſchildenſi.

HAFNIÆ,
EXCVDEBAT MATTHIAS
VINITOR, Anno temporis
nouiſsimi.

M. D. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling 1970

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

GENEROSISSIMO
AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
& Domino, Domino CHRISTIANO, Sereniſsimi ac potentiſsimi Friderici II. Daniæ Regis Filio,
Domino ſuo Clementiſsimo.

ADmirandum DEI opus, Illuſtriſsime Princeps, ſummum beneficium erga genus humanum, euidentiſsimumq́ certitudinis doctrinæ cœleſtis teſtimoniũ eſt patefactio diuina. Ideo enim Deus, qui ſummè bonus eſt, condidit hominem ab initio creationis mundi & rerum omnium, ſuæ naturæ conſortem, vt eſſet creatura poſt angelos, præſtantiſsima, imagine ſua ornata, transfuſis, nimirum in eam ſapientiæ ſuæ, iuſticiæ, libertatis & bonitatis radijs, ex qua creatura, rectè agnoſceretur, coleretur, & in omnem æternitatem celebraretur. Quod quidem ſæpe & multum conſiderare, vtiliſsimum ac ſummè neceſſarium pijs omnibus fuerit. Nam abſq́ huius tanti beneficij noticia & conſideratione, nihil certi conſtare poterit vlli homini de Deo, aut rebus alijs ad æternam ſalutem ſpectantibus. Vt igitur hæc doctrina de tanto beneficio, quòd videlicet Deus, immenſa bonitate motus ab arcana ſua luce prodierit & illuſtribus teſtimonijs ſeſe cognoſcendum exhibuerit, diligentius percipiatur ac perpendatur à nobis, qui ciues veræ Eccleſiæ Dei nos agnoſcimus & profitemur, pauca de ea, breuiterq́ comprehenſa in medium proferre operæpretium fore exiſtimaui.

Hieronymus ſacrarum literarum doctus interpres ſcribit ex mandato diuino ad Moſen, in templo Dei offerre

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

vnumquenq; debere, quod poterit. Nempe ab alijs offerendum aurum, argentum & lapides pretioſos: ab alijs Byſſum,purpuram,coccum & hyacinthum,quæ vt meliora ſunt, ita & totam tabernaculi pulchritudinem magis exornant: ab alijs deniq; pelles, & pilos caprarum, quæ licet ſint viliora, ſuum tamen habent vſum, qui Eccleſiæ ſeruiat. Hoc cum apud animum meum diligentius perpendo, benè mecum actum putabo, ſi obtulero & ego quod potero, ad Eccleſiæ exornationem, non aurum, argentum aut alias res pretioſas: ſed pelles ſaltem, & pilos caprarum, hoc eſt piam & ſimplicem confeſsionis fidei Chriſtianæ declarationem, quæ nullibi rectius & certius, quàm ex doctrina patefactionis diuinæ peti poſsit ac debeat. Etſi autem me meo pede metior, & mihi tenuitatis meæ ſum pulchrè conſcius, vt ingenuè fatear, nihil à me afferri poſſe etiam hac in parte, quod doctrinæ huius amplitudini reſpondeat, vel quod magnoperè placeat, præſertim ijs, quibus nihil niſi quod ipſi fecerint, placet: Tamen vt oſtendam me hoc ingens Dei beneficium & agnoſcere & grato animo prædicare ſemper velle, redditurus etiam quodammodo fidei meæ rationem hac qualicunq; teſtificatione, hoc argumenti genus metris includendum atq; petractandum ſuſcepi. Vt etiam argumenti huius planior redderetur ratio, & ſeries ac ordo in hoc explicando expeditior videretur, hos locos nobis conſiderandos præcipuè proponere viſum fuit. Primum vt quid ſit patefactio diuina certis veluti metis omnia includendo definiretur. Deinde quantum beneficium ſit oſtenderetur, idq; hac declaratione, nempe collatione maximorum operum Dei, creationis videlicet & patefactionis, exemplo etiam primorum parentum, & conſideratione furorum diaboli-

corum

eorum latè vagantium in genere humano, extincta luce teſtimoniorum patefactionis. Præterea vt circumſtantiæ huius nonnullæ,locus quippe,tempus & modus indicarentur. Poſtea vt cauſæ patefactionis recitarentur, principalis præcipuè efficiens ipſe Deus immenſa bonitate ſeſe nobis communicans,& Impulſiua filius Dei, per quem & propter quem condita eſt Eccleſia angelorum & hominum. Ad hæc vt diſcrimen doctrinarum,quas Deus Eccleſiæ tradidit monſtraretur,& ſententiæ,tàm quæ diuinitus traditæ natura nobis notæ ſunt, quàm quæ omnibus creaturis ignotæ, ſine ſingulari patefactione, nequaquam nobiſcum naſcuntur,conſiderarentur. Inſuper vt gradus teſtimoniorum, quæ confirmant pias mentes, vt acquieſcant in patefactione, recenſerentur, vt ſunt miracula & vaticinia,antiquitas, & collatio doctrinarum,experientia ſpiritualis,quæ eſt lux in cuiuſq; hominis mente,fortitudo martyrum in ſupplicijs, Eccleſiæ ſtabilitas, doctrinæq; perpetua propagatio inter tantas imperiorum ruinas & vrbium deuaſtationes, pænæ deniq; hoſtium Eccleſiæ. Poſtremò vt vſus patefactionis rectius perſpici & melius animaduerti poſſet. Hinc enim oſtenditur & ortus religionis noſtræ, & veritas ipſius atq; certitudo confirmatur, traditur etiam norma,qua probentur dogmata, & docetur quòd dirigenda ſit inuocatio noſtra ad viuum & verum Deum,non quidem abſconditum, ſed verbo & claris teſtimonijs patefactum, vnum quippe eſſentia ſed trinum perſonis.

Horum ſiquidem locorum conſideratione potiſſimum, commonefactio noſtra inſtituta abſoluitur, & multò ſanè breuius, quàm tantarum rerum amplitudo poſtularet. Superſedi hîc prudens multis, quæ de patefactionum diuinarum modis,aliter ab alijs referuntur,qua-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

lia ſunt ſacrificia, typi, viſa, ſomnia prophetica & angelica, extra ordinaria Dei opera, afflatus diuini mentes hominum illuminantes, qui & per filium Dei hominem factum, & per ſpiritum ſanctum, qui in miniſterio efficaciter agit, perficiuntur.

Hoc autem quicquid eſt opuſculi, eò libentius adornandum emittendumq́ꝫ exiſtimabam, quòd ſperem haud iniucundum bonis & doctis fore, præſertim cum ſit fidei Chriſtianæ analogon. Nam quæcunq́ꝫ in hoc congeſta ſunt, ex limpidiſsimis verbi diuini fontibus hauſta deprehendentur. Tuæ verò inclytæ celſitudini, illuſtriſsime princeps, dux Chriſtiane, ideo reuerenter & ſubmiſſè mittendum, & ſub illuſtriſsimi nominis tui præſidio proferendum eſſe cenſui: Quòd illo patre natus ſis, cuius vera pietas, & cæteræ plurimæ virtutes heroicæ æterna memoria digniſsimæ ſunt: Quòdq́ꝫ aui tui paterni, ſanctiſsimæ recordationis, nomen felici omine geras, cuius etiam cum inſigni pietate, ardens ſtudium propagandæ veræ doctrinæ de Deo & alijs bonis artibus, coniunctum extitit, atq́ꝫ ideo memoria eius in æterna benedictione eſt. Quòd deniq́ꝫ in regia veſtra ſtirpe harum maximarum virtutum poſſeſsionem, inſtar pretioſiſsimi theſauri, perpetuò manere cupiam, quæ & ad tuam inclytam celſitudinem, velut iure ſucceſsionis pertinere viſa eſt. Quantumuis autem hoc ipſum quod affero ſcriptum, tenuius & impolitius vel indignius potius ſit, quàm vt inclytæ celſitudini tuæ dedicetur: Tamen non dubito, quin pro tua rara atq́ꝫ præclara indole, illud æquo animo ſerenóq́ꝫ vultu accepturus ſis. Ideo etiam hoc qualecunq́ꝫ eſt laboris ſtudium, teneræ iſti ætati tuæ conuenientius fore ſum arbitratus, quòd ea iam in pietatis exercitijs diligenter inſtituatur, & ad veri Dei noticiam ac inuocationem educetur.

Volui

Volui etiam hac compellatione, meæ erga inclytam celſ: tuam, obſeruantiæ teſtificationem aliquam extare, piáq; vota mea pro I. C. T. incolumitate & longæuitate oſtendere, præſertim cum iam hiſce tam fauſtis auſpicijs præſtiti homagij I. C. T. publico ſolenniq; ritu, videam te maximis accreſcere regnis, ſummaq; præſidia vndiq; prenſare, quibus ad maximarum rerum laudem & virtutis culmen euehi poſsis. Hanc itaq; ſubiectiſsimam voluntatem meam, vt in meliorem partem, Illuſtriſsime princeps Chriſtiane, accipere digneris, ſumma qua poſſum, ac debeo animi ſubmiſsione rogo. Ego me, mea ſtudia, omniaq; alia mea, quibus Dei inprimis, & ſereniſsimi pientiſsimiq; parentis tui beneficio fruor, I. C. T. mancipo & obnoxia facio. Cæterum Inclytam Celſ: tuam ſic iam cohortari velim, princeps Illuſtriſs: vt ad illam inſignis pietatis erga Deum, & omnis generis virtutum laudem, quæ & paternæ, & maternæ ſtirpis tuæ ſumma eſt, primis aſſuefieri te ab annis patiaris. Et quidem hæc tum demum pietatis & virtutis laus, perpetua erit, ſi eam mirari & omnibus viribus imitari atq; ſequi ſtudeas. Quod ſanè ſi, vti futurum confido, feceris: omnes ad præclarè de indole tua, verè regia, ſperandum & ſentiendum excitaueris. Vtriuſq; quippe parentis in omni vita atq; gubernatione exempla prælucentia ſequutus, Deo & hominibus charus acceptúſq; futurus eris. Vtriq; enim domui ſereniſsimæ & illuſtriſsimæ ſummæ curæ eſt, ſcholas & Eccleſias magno ſtudio complecti. Vnde veriſsimè de hac dici poteſt: Erunt reges nutricij tui & reginæ nutrices. Hæc itaq; mente ſedulo reuoluens, & literarum & ingeniorum, quibus perinde atq; alijs rebus optimis Dania noſtra fertiliſsima eſt, te fautorem eximium declaraueris.

Quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quod ſuper eſt Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, vt inclytam celſ: tuam, ita in hac florentiſsima ætate, ſuo ſancto ſpiritu gubernet, vt proficere poſsit ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines, & vbi ad maturiores, Deo fauente, annos deuenerit, præeſſe & prodeſſe queat florentiſsimo regno ad ipſius Dei gloriam æternam, & Danicæ Reipub: incolumitatem. Amen. Roſchildiæ, IIII. Idus Ianuarij, Anno 1585.

Inclytæ Celſitudini tuæ

Deditiſsimus

Nicolaus Olaus Haluegius

Canonicus Roſchildenſis.

AD

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

AD REVEREN-
DVM DOMINVM, M. NICOLA-
VM OLAVM, CANONI-
cum Roſchildenſem,

EPIGRAMMA
NICOLAI THEOPHILI I. V.
Doctoris & Profeſſoris in Regia Aca-
demia Hafnienſi.

CVi Deus & venam tribuit natura benignam,
Et dedit Aöniæ tangere fila lyræ:
Cœlorum laudet facundo carmine Regem,
Et celebret verſu ſplendidiore Deum:
Non referat ſtolidos inſanæ Phyllidis ignes,
Turpia nec Paphiæ furta dolóſue Deæ.
Non triſtes cædes, non impia bella Gradiui,
Orgia nec Bacchi luxurioſa canat:
Nec petat innocuum calamo temerarius hoſtem,
Nec fœdet numeros turpibus vſq; iocis:
Nequitiæ ſtudium manet hoc ſcelerumq; magiſtros,
Qui curare Deum noſtraq; noſq; negant.
Non teneant noſtras mendacia carmina mentes,
Et pudeat nugas nos ceciniſſe leues:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Nos quos ipſe ſuo mundauit ſanguine Chriſtus,
Et vocat ad ſuperæ regna beata plagæ.
Docte vir ô patriæ non vltima gloria gentis,
Cui Deus & Muſæ, turba nouena, fauent:
Dum canis à cœli patefactum vertice numen,
Et verſu celebras mente probante Deum:
Et bene ſyncera de relligione mereris,
Vatis & eximij nobile munus obis.
Quem canis, in ſeros vitam tibi proroget annos,
Vt poſsis cœli tecta ſubire ſenex:
Præſentiſq́; Dei faciem ſine nube tueri,
Et quæ ſunt oculis multa videnda tuis.
Viue diu felix, nec doctas deſere Muſas,
Vtq́; Deum laudes carmine, viue diu.

LIBEL.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

LIBELLVS
DE
PATEFACTIONE DIVINA.

NVmen ab æthereo patefactum vertice ſacrum
Gentibus humanis, diuina voce per orbem,
Et virtute ſalutifera, ſuperoq; fauore,
Dicere fert animus: numen Deus imbue motu
Pectora ſidereo, calamiſq; illabere noſtris.
Aſſuetis maiora canam, meditatio quorum
Proderit, atq; pijs ſolatia mentibus addet:
Et niſi mens læua eſt olim meminiſſe iuuabit,
Quæ diuina ferat patefactio commoda vitæ,
Quam pietas & vera fides in ſidera mittet.
Res ſedenim ne tanta ſacris memoranda Camœnis,
Abſq; modo penitus videatur & ordine fundi,
Carminis hæc eſto ſeries, & ſumma laboris.
Numinis ætherei primum patefactio quid ſit:
Mox quibus aucta bonis, & quanto munere: Deinde
Quæ connexa habeat: Dehinc quo ſtent ordine cauſæ:
Præterea doctrinarum diſcrimina quæ ſint:
Inde gradus, qui teſtentur de indagine veri:
Poſtremò quos haud dubios ex vſibus vſus
Conferat, & quanto conſtent impendia fructu,
Dante DEO, expediet ſine longo ſyrmate Muſa.
Ardua materies calamiſq; animiſq; profectò
Eſt obiecta meis, præclaro carmine digna,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quæ decantetur, venæ inſtillata calenti
Diuitis ingenij, ſacræ mihi quale Camœnæ,
Optârim traherent in vota valentia fauſtos
Reddere conatus, cœloq; inducere laudes.
Si modò quis poſsit votis locus eſſe ſecundis,
Vt dubio procul, eſſe poteſt quandoq; relictus,
Præſertim ſupero cum grata petantur Olympo,
Et cum ſidereo tententur digna fauore.
Non mihi ſic animum ſtimulat leuis aura, poëtas
Vt cupiam magnos inter me poſſe referri:
Nec tantum ingenio fido, neq; viribus vllis,
Vt calamo credam deduci poſſe polito
Omnia, quæ cuperem noſtra hæc in carmina mitti:
Quin potius ſatagit mens id tentare quod audet,
Moliriq; valet, conando & ſperat habere
Progreſſum vlterius, ſupero auxiliante parente,
Auſpicijs cuius, cum res ſuſcepta ſit, illi
Seruiat hic labor, & mihi ſint in pectore vires,
Quæ ſuperum numen patefactum in carmina mittant.
Sed tamen vt fructu poſsit feliciter amplo
Res peragi, ſis Chriſte bonus, qui cuncta creata
Imperijs frænas validis & numine firmas:
Æterniq; patris per quem patefacta voluntas
Eſt generi humano, verbi virtute potentis:
Te precor vt cæptis faueas, mediumq; laborem
Felicem reddas, & finem fructibus ornes.

Ad

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Ad mea plaudentes accedunt vota Camœnæ,
In laudes opus omne tuas tranſferre paratæ.
Vos etiam quibus eſt cordi pietatis & æqui
Officij ſtudium, hanc animis inducite curam:
Conciliate pijs etiam ſacra numina votis,
Et quantum in vobis fuerit, pia robora muſis
Sufficite, & placidos in carmina mittite vultus.
Sic de cœleſti patefacto numine, vera
Dulceſcet doctrina magis, fructumq́ rependet.
Eſt igitur patefactio diuina, actio ad extra,
Qua genitor rerum ſummè bonus, inſcius ortus
Et finis, luce ex arcana prodijt, atq́
Humano generi placido eſt ſermone locutus,
Voce ſua tradens legis documenta ſeueræ,
Ac Euangelij diuina oracula læti:
Plurima doctrinæ, minimè fallentia ſigna
Addidit, & factis mirandis ſanxit eandem.
Qualia ſunt, vita defunctis reddere vitam,
Eximere ægrotis genus immedicabile morbos,
Vt cum ritè videt, fuerat qui lumine caſſus,
Et velut alipides ſaltant, qui membra ſoluti
Incubuêre toris, & ſi qua ſimillima ſunt his,
Edita diuina paſſim virtute per orbem.
Maieſtas quid enim voluit diuina probari
Addita doctrinæ patefactæ illuſtria ſigna,
Factaq́ clara? niſi vt ſe teſtaretur apertè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Humani multum generis curare ſalutem:
Vtq́; ſuis donis nec non virtutibus illud
Redderet eximiè præſtans, Eccleſiam & ipſam
Ornaret certa, qua dirigat omnia, norma,
Quamq́; inſtar lapidis proba Lydij vbiq; ſequatur,
Siue in conſilijs, ſeu iudicijs, operiſúe,
Cultibus aut veris, vrgens cum poſtulet vſus.
Æthereum verbum norma eſt, & nobile vitæ
Lumen, quod bonitate Dei mortalibus ægris
Curſibus à priſcis ſeclôrum innotuit orbis,
Per ſanctos patres, per veridicoſq́; prophetas,
Per te, Chriſte, tuaq́; electos voce miniſtros,
Et per doctores reliquos voluentibus annis,
Omnibus in rebus verum vt moderetur & æquum,
Ac iter in cœlum monſtret ſedeſq́; beatas.
Dicta probè hoc firmant ſcripturæ plurima ſacræ,
Quæ pro parte rata, ſunt nobis vſq; tenenda.
Pſalmographus cantat: pedibus Deus alme lucerna
Sint tua verba meis, & lumen greſſibus addant.
Regius acclamat vates: Sententia ſi qua
Dicatur, quæ non eſt conſentanea verbo
Æthereo, quæ nec iuxta hoc dicta eſſe videtur,
Non erit hanc homini lux matutina ferenti.
Chriſtus diſcipulos vero complexus amore,
Sancte parens, inquit, precor hos in ſimplice vero
Sanctifices, tuus eſt ſermo immutabile verum.

Parcius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Parcius hæc licet, & verſu breuiore canantur,
Res tamen hinc poterit manifeſtior ipſa videri.
Numinis ergo ſacri ſic ſit patefactio ſtrictim
Definita, patris mirandum opus altitonantis.
Nunc verò quantum ſit donum, quantaq́ præſtet
Commoda monſtrabunt hæc, quæ memoranda ſequuntur.
Sanè opus eſt ingens & inenarrabile donum,
Quòd DEVS ex nihilo mundumq́ hominesq́ creârit:
Sed mihi crede, minus benefactum haud eſſe putabis,
Maieſtas diuina ſua, quòd in arce latere
Noluerit, poſtquam patulum fabricauerit orbem.
Nam velut auricomus rutilo quum phœbus ab ortu
Fertur equis, vultus aſtro radiante decoros
Exerit, & roſea face, celſo è ſidere mundum
Luſtrat, cuncta ſuo recreanſq́ fouenſq́ calore:
Sic DEVS egreſſus ſublimi ſede creator
Exhibuit mundo clementi luce fauorem,
Humanæ ſatagens magis innoteſcere genti
Voce ſalutifera, qua mirè expreſsit vtrumq́
Doctrinæ genus, vnde ſalus & vita petenda eſt.
Hac ratione DEVS benefactum præſtitit orbi
Maius, quàm verbis poſsit memorarier vllis.
Nam mihi ſi centum linguæ eſſent, oraq́ centum,
Vix equidem id minima poſſem pro parte referre.
Dic mihi quid fluidi prodeſſet machina mundi,
Ignotus penitus ſi conditor ipſe fuiſſet?

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Aut certè nobis ſi non benè cognitus eſſet?
Sicut enim donis eſt multis anteferendum
Colloquium, magno cum principe ſi quod habetur:
Sic capiat longè maiorem Eccleſia fructum
Ex hac doctrina, qua eſſentia & æqua voluntas
Eſt patefacta DEI, quàm vel præſtare Theatrum
Hoc ſublime queat, quod mundum ritè vocamus.
CVM SPLENDORE SVO Mundus tranſibit inani,
PERMANET ÆTERNVM ſermo diuinus in æuum.
Hoc benefactum etiam primorum nota parentum
Hiſtoria illuſtrat, qui tanto quippe dolore
Poſt lapſum miſerè oppreſſi fractiq; fuiſſent,
Vt ſua ſpe nulla potuiſſent damna leuare,
Ni λόγος æterni decreta arcana parentis,
Ex patrio proferre ſinu dignatus amore
Eſſet inexhauſto, promiſſaq; grata tuliſſet
Læti Euangelij, ſocio de fœdere pacis
Compoſitæ, cum patre DEO iuſtoq; bonoq;,
Deq; modo, quo lapſa hominum natura reſurgit,
Ac ad cœleſtis reparatur gaudia vitæ.
Proh dolor, haud nobis, ſapientia, mira videtur
Æthereæ vocis, toties quam audire licebit.
O igitur noſtri duriſſima pectora ſecli,
O mentes hominum ſtupidas, ô ferrea corda,
Quæ non agnoſcunt hæc dona, nec hiſce mouentur,
Illius vt celebrent, qui confert talia, laudes.

Acci.

Accidit, inſignis quod vir pietate, ſolebat
Dicere: Vileſcunt miracula crebra Tonantis.
At primi velut attoniti obſtupuêre parentes,
Cum nunquam audiſſent decreta arcana ſalutis,
Illa nec angelicæ prius eſſent cognita turbæ,
Quàm ſunt expreſſa diuinitus edita voce.
Mirati ſiquidem, qua temperet arte, duarum
In ſe virtutum effectus, moderator olympi:
Quòd iuſtus ſimul & clemens ſit tempore eodem.
Iuſticiam exercet pœnis ob crimina iuſtis,
Sed peccatorum nati miſereſcit amore.
Hinc clamare poteſt, & rectè quiſq; fateri:
Haud Deus in media bonitatis es immemor ira.
    Inſuper horrendos libeat ſpectare furores,
Sæpe quibus multumq; fuit pars maxima mundi
Subiecta, eſt, & erit, diuina voce relicta.
Nam multæ gentes, neglecta lege prioris
Mandati, finxêre DEOS & numina mille,
Contra noticiam, quæ naturæ inſita, mentem
Vnam eſſe æternam teſtatur, eamq; bonorum
Cauſam, quæ ſunt in natura diuite rerum.
Hîc rabidos prudens ſectarum mitto furores,
Dogmata quos referunt paſsim vulgata ſophorum:
Prætereo ſtolidi deliramenta Epicuri,
Atq; aliorum, qui ſunt huius de grege porci,
Audentes grunire DEVM nihil eſſe, nec ipſum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Res curare hominum, ſed caſibus omnia ferri.
Hîc etiam taceo deliria ſtoica, fatis
Inſuperabilibus quæ adſcribunt omnia, & vrgent
Eſſe DEVM, duro parcarum carcere clauſum,
Nil vt agat, cauſæ niſi quod ſuaſère ſecundæ.
Deniq; non memoro ambiguas, Academica, voces
Colluuies, quibus in dubium vocat omnia ſenſum.
Dic age quis niſi mentis inops, non perſpicit iſthæc
Cum verbo pugnare DEI? Quo certius eſt nil:
Monſtrat nanq; DEVS quid ſit, qualiſq; voluntas
Illius erga homines, quod prorſus ſcire neceſſe eſt.
Verus enim Deus eſt æterna eſſentia, verè
Spiritualis, iuſta, bona & liberrima, verax,
Caſta, potens, ſapiens, longè diſtincta creatis
A rebus cunctis, in qua tres eſſe coëuas
Atq; coëquales perſonas credere fas eſt:
Nempe patrem æternum, cum nato, & pneumate ſacro:
Ex Triade hac ſunt omnia condita reſq; homineſq;,
Et chorus angelicus, conſeruanturq; ab eadem:
Paruus ab hac etiam cætus, qui Eccleſia fertur
Colligitur, latè verbi virtute ſonantis,
In genere humano, vt Trias hæc patefacta potenter,
Re ſimul & verbo, ſola agnoſcatur ab illo
Agmine collecto paßim, verèq; colatur,
Et meritò in vita æterna celebretur honore.
Eſſe DEVM talem, taliq; modo eſſe colendum

Diui-

Diuina ſaltem norunt, qui voce reguntur.
Sed quid eos memini, qui à prima lege recedunt?
Scilicet impliciti craſſis erroribus, iram
Iudiciumq́ DEI accerſunt, mortemq́ perennem.
Prô ſcelus indignum, ſine lege furoribus acti
Barbaricis multi, mactârunt more ferino
Humanas carnes, vt ab illis hoſtia grata
Dijs ſuperis fieret, gladiatorumq́, cruenta
Ceu pietatis opus ſpectacula multa dedêre.
Sic Rhodij ſæui, rapidi & ferus accola Oäxis,
Sunt hominem ſoliti potuq́ ciboq́ grauatum,
Imberbes etiam pueros, mactare diebus
Feſtis, Saturnus, quo placaretur honore.
Leucadij phœbo facturi ſacra potenti,
Præcipitem prærupto hominem de monte dederunt.
ZAMOLXIM coluêre Thraces, ſummumq́ putârunt
Eſſe DEVM, humana cui non niſi cæde litarent.
Hoc etenim fieri ſtatuêre homo ductus ad aram
Ictu ſi caderet, quem lancea longa ſubegit.
Aphrica Palladijs ſacris, certare puellas
Fuſtibus inter ſe ſtatuit, diſcrimine vitæ,
Quæ caperent pietatis in hoc certamine honorem.
Nonne hæ ſunt furiæ triſtes, ſtygijq́ furores?
Quos cum lege Dei penitus pugnare videmus.
Quanta etiam fuerit confuſio ſemper in orbe
Ex venere inſana, turpiq́ libidine nata,

Horreſcit meminiſſe animus, luctuq; refugit.
His igitur ſignis moniti expendamus oportet,
Quòd diuina ſit eximium patefactio donum:
Atq; DEO grates meritas reuerenter agamus:
Non tantum genus humanum, quòd condidit autor,
Quin etiam quòd idem tanto decorauit honore,
Vt ſapiens eſſet de ſe ſapiente bonoq; :
Quòdq; ſalutifero promiſſo ſemine, primos
Poſt lapſum patrio reparauit amore parentes:
Nunc quòd & inter nos clementer colligit agmen
Voce ſonante pium, nec id eſſe furoribus atris
Sectarum ſinit implicitum, ſed ſeruat & auget.
Hoc quoties nobis in mentem venerit ingens
E cœlo exhibitum munus, quo cardo ſalutis
Vertitur humanæ, ſimul & ſpectemus oportet,
Hîc quæ circumſtant, & rem ſtabilire videntur:
Vt locus, & tempus, nec non modus, vnde canenti
Nunc deducendum eſt mihi filum carminis orſi.
Si quæras vbi terrarum ſe rector Olympi,
Præcipuè à mundi primo patefecerit ortu:
Diuinus pſaltes, te reſpondere docebit,
Qui cecinit: DEVS in Iudæa notus amæna,
Nobilis vrbs illi Solymorum habitatio grata.
Quanquam ſe auricomo primum patefecit in horto,
Maieſtas diuina parentibus omine primis
Mirando, triſtem poſt illam atq; ante ruinam:

Et

Et tribus in regnis, quæ ſummo flore ſteterunt,
Nempe Ægyptiacum, Babylonicum, & inclyta, Perſis
Quod peperit virtus, aliquot veracia ſigna
Edidit, vnde ſuum monſtraret numen adeſſe:
Ante tamen toto quam ſparſa eſt dulcis in orbe
Vox Euangelij, per eos qui numine pleno
Munus apoſtolicum geſſerunt, manſit in vrbe
Præcipuè Solyma, & politia gentis alumna
Iſraeliticæ, ſedeſq́, locuſq́, dicata
Cui diuina fuit patefactio, fœdere certo.
Legifer hîc etenim Moſes, reliquiq́ prophetæ
Doctrinæ teſtes aderant, quæ innotuit ipſis
Cælitus, ac illam ſtudio ſparſêre fideli.
Deinde DEI natus non ſolum voce ſuapte,
Dogma ſalutiferum Iudæa ſparſit in ampla:
Sed ſignis etiam magis inclareſcere fecit:
Vt rediuiue probas, & tecum, Lazare, multi
Donati vita, media iam morte iacentes.
In Solyma tandem maiora his præſtitit vrbe.
Hîc etenim ligno affixus, de morte reuixit,
Aſtra petens, ſacrum demiſit ab æthere pneuma,
Quo duce, bis ſeni mundum ſparſêre per omnem
Electi ſocij, doctrinam & facta, ſalutem
Humano generi, quæ firmo numine ſpondent.
Facta puto Chriſti, & diuini oracula verbi,
Quæ curant etiamnum circumferre miniſtri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quod verò ad tempus ſpectat, patefactio cui ſit
Adſcribenda, ſatis manifeſtè conſtat ab ipſis
Hiſtorijs, vatumq́; patrumq́; ætatibus, atq;
Temporibus cunctis, diuinitus eſſe vocatos
Doctores, per quos Deus eſt patefactus in orbe:
Qualis Adam, reliquiq́; patres ſancti, ante fuerunt
Diluuium, mortale genus quod perdidit omne:
Qualis & inde fuit cum poſteritate Abrahamus,
Vſq; ad diuinum Moſen: cui deinde prophetæ
Succeſſêre alij, numerus laudabilis omni
Tempore, donec adeſt qui perficit omnia Chriſtus.
Inſuper hîc etiam, quòd ſit patefacta duobus
Maieſtas diuina modis, meminiſſe iubemur:
Vno per verbum, cui ſe DEVS alligat vltrò,
Illius vnde licet, quæ ſit ſpectare voluntas:
Alter at in ſignis ſpectatur, quæ addita verbo
Sunt promiſſorum ceu pignora certa bonorum.
Doctrinæ genus in verbo complector vtrumq;,
Nempe ſacroſanctam legem, quæ crimina pandit,
Atq; Euangelium, quod monſtrat dona ſalutis:
Sed tribuo ſignis opera omnia, quæ DEVS omni
Tempore, firmandum voluit ſuperaddere verbum.
Horum autem quædam vocum miracula dicas,
Vt ſunt facta èxtra naturæ plurima curſum.
Ritibus à ſacris quædam vocitare licebit
Sacramenta, oculos quæ incurrunt prompta videri,

Hiſce

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Hiſce DEVS verax ſigillorum vtitur inſtar,
Ad bona promiſſa in verbo obſignanda ſalutis.
Quòd verò DEVS hiſce modis ſe ſemper in orbe
Præbuerit manifeſtum, exemplis pluribus eſſet
Monſtrandum, ſi non breuitati muſa ſtuderet.
Planior autem vt ſit res pauca referre libebit.
Nondum lapſus Adam, vitæ integer, atq; beatus
Omni parte, Deiq; ornatus imagine vera,
Voce creatorem, ſignoq; agnouit aperto:
Vox ſiquidem immortalis erat promiſsio vitæ,
Arbor erat ſignum vetita aſpectabile, verbo
Adiectum, quibus eſt diuina probata voluntas.
Huic iterum ex triſti lapſu Deus vltrò pateſcit
Et verbo & ſigno, ſortem miſeratus iniquam
Illius, in quo viua prius ſua fulſit imago:
Mandati arguitur verbo tranſgreſsio triſtis,
Et promittitur hoc venturum ſemen eodem:
Additur huic ſignum pecudum mactatio, & almæ
Donorum Cereris, cultus oblatio iuſsi.
Iuſtus Abel verbum promiſsi ſeminis illud
Aſpiciens, offert de fructibus & grege opimo,
Præcipuè quæcunq; Deo fore grata videbat,
Et capit à cœlo ſignum, mirabile dictu,
Victima corripitur flammis ex æthere lapſis,
Diuini ſiquidem certiſsima nota fauoris.
Cum genus humanum tumidis peryſſet in vndis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Et Nohe pietatis amans ſupereſſet in orbe
Vnus cum paucis, quos conditor æquus amauit
Rerum, commendatur ei vegetabile verbum,
Addunturq; noui certiſsima ſymbola pacti.
Iris enim cœlo ſpectatur, diſcolor arcus:
Ceruleus deſignat aquas, quibus omnia in orbe
Sunt abſorpta, monetq; Deum non velle deinceps
Perdere aquis homines, aut res quaſcunq; creatas:
Sed color aërio qui cernitur alter in arcu,
Conflagraturum rutilis docet ignibus orbem.
Hoc igitur ſignum quoties ſpectamus & ipſi,
Diuini memores nos conuenit eſſe fauoris.
Cum de ſaluifico promiſsio ſemine rurſus
Voce Dei, grandæuo eſſet repetita Abrahamo,
Symbolon acceſsit genitalis cæſio membri.
Quod licet in populo ex hac poſteritate vigeret,
Signum gratuiti, per ſecula multa, fauoris:
Donec & ipſe Dei natus, de virgine pura
Humanam aſſumens, præſcripto tempore, maſſam,
Hoc vſurparet ſignum, exemploq; probaret:
Poneret huic etiam finem, baptiſmate ſacro:
Plura tamen typico Moſi, reliquiſq; prophetis
Symbola cum verbo ſunt commendata ſubindè,
Illius ætatis ratio prout iuſta popoſcit.
Quando etenim Moſes populi dux eſſe iubetur
Voce ſonante Dei, tremulis rubus ignibus ardet.

Quando

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quando etiam populus loca per deſerta vagatur
Iſraeliticus, Man cœlo depluit alto:
E ſcopulo ſalientis aquæ fluit irriguus fons:
Æneus ex alto ſuſpenſus ſtipite ſerpens
Sanat eos, quos dipſades infecêre veneno.
Aërias mitto, nubiſq; igniſq; columnas,
Atq; maris rubri miracula, mitto dolendas
Regni Ægyptiaci plagas, & maxima ſigna
Edita Sinaidos quæ ſunt in vertice rupis,
Cum data marmoreis lex eſt diuina tabellis.
Mitto decus templi varium, & ſolennia ſacra
Qualia erant de primitijs libamina rerum:
Munera pro primogenitis oblata redemptis:
Fœderis arca ſacri: de facti nomine phaſe:
Victima cæſa manu, quæ fuſi ſanguinis aram
Imbuit aſperſu: flammis holocauſta coruſcis
Addita: fragrantes bene olentis Thuris odores:
Diuina ſcelerum ſancita piamina lege:
Balſama quippe etiam redolentia, & id genus omne
Symbolici ritus, quos enumerare laboris
Plus habet, in numerum quàm velle referre marinas
Conchas, aut cœli ſtellas numerare micantes.
Omnibus his verbo adiectis Deus, ante tremendum,
Et poſt diluuium, ſignis apparuit vltrò,
Atq; ſuo ſe declarauit numine adeſſe
Cultibus in veris, quos ſæpius eſſe nouandos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Fœdere concordi voluit, promiſſio prima
Notior vt fieret, toties repetita per omnes
Ætates mundi, donec tu Chriſte venires
Promiſſum ſemen, qui verè dictus es illud,
Contriuit ſtygij quod colla ſuperba draconis:
Quodq́; patres ſancti coluêre omneſq́; prophetæ
Haud dubitante fide, ſtatuentes omnia in illo
Conſummanda vno, quæ cœlitus eſſe ſciebant
Symbolicis iſtis ſibi commendata figuris.
Tu ſiquidem interpres Moſis, vatumq́; fidelis,
Horum & completor, quo non perfectior alter,
Quando aderas iam factus homo promiſſus vt olim
Voce dei fueras, reparandis omnibus vnus
Sufficiens, cum ſis verus DEVS, omnis & expers
Labis verus homo, rex, æternuſq́; ſacerdos:
Non modò reſtituis cultum reparator eundem,
Quo patres coluêre Deum iam penè per orbem
Collapſum, peccata iubens ſua quenq́; fateri,
Et per te veniam cœleſtem poſcere patrem:
Quin etiam vt verum hunc Eccleſia vera receptum
Perpetuò cultum ſeruaret, tradere verbum
Te iuuit certum, verboq́; apponere bina
Ceu ſigilla externa oculis manifeſta videri:
Baptiſmum cœnamq́; ſacram, quibus omnia dantur
Promiſſa in verbo bona ſpiritualia nobis:
Qualia ſunt ſceleris perfecta remiſſio tetri,

Iuſticiæ

Iuſticiæ donum, pax, euitatio diræ
Mortis, & æternæ lætiſsima gaudia vitæ.
Hæc ſuper his, nunc quas habeat patefactio cauſas
Diuina, in numeros inducere poſtulat ordo.
Conſilij quamuis diuini carmine nullo
Grandiſono poſsint cauſæ recitarier omnes,
Quas ſpectare iubet nos mira creatio rerum,
Et diuina monet patefactio mente teneri:
Vult tamen in vita hac nobis primordia rerum
Summarum nota eſſe Deus, quibus ante paratos
Nos aliqua ratione habeat, quàm mittat in illam
Ætheream poſt fata ſcholam, diſcenda vbi nobis
Omnia perfectè ſunt, hîc quæ ſcire nequimus.
Dicam igitur breuius, quàm res ea maxima poſcat
De cauſis tanti benefacti, operiſq́ potentis.
Prima quidem cauſa eſt, bonitas immenſa Tonantis,
Qua ſeſe nobis communicat, & ſua dona
Vſibus aſſociat noſtris, & fructibus auget.
Cauſæ quippe bonæ bona ſunt effecta, bonumq́
Omne ſui commune, bonos ſe fundit in vſus.
Chriſtus imago patris, Deus omnis originis expers
Patre Deo natus, ſimiliſq́ per omnia patri:
Nempe in principio coniunctus numine eodem
Aſsiduè patri aſtabat, præſtoq́ manebat,
Per quem cuncta pater liquidas produxit in auras:
Impulit ipſe patrem ſolio vt prodiret ab alto,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Sede ſua arcana, & fieret manifeſtior inde,
Non ſolum vario ornatu, quo condidit orbem
Vnde creatoris facilè eſt agnoſcere numen,
His etiam quibus eſt mundus, naturaq; rerum
Pro libro tantum, & picturæ nobilis inſtar:
Quin etiam vt verbi expreſſi virtute pateret,
Tanquam colloquio dulci, quo affabilis adſit
Humano generi, monſtrans quid ſitq; velitq;
Ipſe opifex rerum nati agnitione colendus,
Præcipuè in cætu, qui voce ſonante vocari
Se ſinit ad ſuperi dulciſſima gaudia regni.
Inſuper hunc finem patefactio prouida ſpectat,
Scilicet vt monſtret, quo ſit complexus amore
Ipſe Deus mortale genus, quantaq; ſalutis
Affectus cura noſtræ, ſua dona miniſtret.
Deinde vt diuinæ ſignum bonitatis adumbret,
Quo ſe participem fieri ſapientia gaudet
Diua creaturæ, quam vult Deus eſſe ſagacem
Rerum, quæ ſpectant ad vitæ animæq; ſalutem.
Deniq; vt in rebus patefactio regula agendis
Certa ſit, ad quam mens referat ſe conſcia recti.
Sed prius hæc monui, non ergo iteranda putabo.
Nunc ad dictorum venio diſcrimen eorum
Quæ doctrina refert, qua ſola Eccleſia gaudet
Dante Deo: Nam ſunt quædam diuinitus horum
Cognita natura, vt legis præcepta ſeueræ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quæ licet humanis ſint mentibus inſita certæ
Per vim noticiæ, rerum ſub imagine prima:
Post lapſum tamen horrendum, caligine denſa
Noticiæ legis vis obſcurata remanſit,
Factaq́ languidior multò eſt aſſenſio cordis.
Mentibus ergo bonis, vt confirmatio veri
Gratior extaret, Deus obſignauit eandem
Noticiam legis diuina voce potenter,
Poſtea Sinaici repetita montis in arce.
Sunt etiam quædam natura ignota perenni
Dicta, ſalutifero quæ tanquam dogmate gemmæ
Splendent, arcana quadam ratione velata,
Conſilioq́ Dei miro patefacta, per illum
In quo teſtatur ſolo ſibi cuncta placere.
Huc Euangelij referas promiſſa ſuauis,
Vnde ſalus petitur, vitæq́ per ampla futuræ
Præmia monſtrantur, deuicta morte tremenda.
Tradidit hæc autem Deus, vt diſcrimine certo
A tenebris poſſet ſeiungi Eccleſia craſſis,
Triſtibus & furijs adimi, quibus Ethnica turba
Sectarumq́ cohors agitatur in orbe dolenter:
Quæ quamuis legem norunt: tamen altius hærent
Immerſæ dubijs erroribus, vnde reduci
Vix poterunt, quòd non illis ſit dogma recluſum
Chriſti ſaluificum, ſine quo ſapientia mundi
Summa licet fuerit, nulli prodeſſe valebit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Ergò genus tali diſcrimine diſtat vtrumq;
Doctrinæ, quòd lex natura nota ſit ipſa
Omnibus, vnde ſciunt diſcernere turpe ab honeſto:
Aſt Euangelium naturæ reſpuit ortum
Omnibus ignotum, niſi quòd patefecerit illud
Filius ipſe Dei, mirando fœdere idemq;
Certæ tradiderit turbæ, quæ Eccleſia dicta,
Vſq; à principio ſuccreſcit ſemine verbi.
Sed miſſa hæc faciens, pergam recitare gradatim,
Quæ poſſunt mentes hominum firmare piorum,
Tutius vt per dona Dei patefacta quieſcant.
Sat diuina licet ſit teſtificatio certa,
Spondeat vnde ſibi aſſenſum patefactio firmum:
Conſilio tamen ipſa bono reuerenda vetuſtas,
Circumſpecta gradus aliquot collegit eorum
Argumentorum, quæ teſtificantur apertè,
Confirmantq; pias mentes, fateantur vt illam
Doctrinam veram eſſe, ſacro quæ in codice ſcripta eſt,
Cœlitus ad patres, olim vateſq; relata:
Poſtea nate Dei per te repetita, viriſq;
Tradita apoſtolicis, hinc commendata miniſtris,
Omnibus inde pijs, curæ quibus eſtq; fuitq;
Atq; erit, vnanimi conſenſu ſpargere eandem.
Econtra verò ſtatuant ea dogmata, verbo
Quæ cum diuino pugnant, ſtygij eſſe Tyranni
Præſtigias, labyrinthæiſq; è flexibus artes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Inuectas orbem, Deus vt ſpoliatus honore
Vileſcat, generiſq; humani magna ruat pars
Caſſa Deo, pœnas iam iam ſubitura dolendas.
Hoſce gradus equidem ratione expendere vera,
Communi maiora fide dat commoda vitæ.
Hîc igitur primum ſigna atq; oracula vatum
Occurrunt, quæ ſunt opera omnipotentis aperta
Naturæ, de quo nemo dubitauerit vnquam,
Sit niſi mentis inops, ſanæ rationis & expers.
Cætus enim exiguus tua dogmata Chriſte profeſſus,
Facta illuſtria habet, certæ monumenta ſalutis,
Curſibus includi naturæ neſcia noſtræ:
Huius ſunt generis, de morte reſurgere viuos:
In medio curſu ſtatio atq; regreßio ſolis,
Virgineus partus, fœcunda ætate ſenili
Facta anus, in medijs flammis, interq; leones
Conſeruati homines, atq; his conformia plura
Multò, quàm vel tota Dies ſinat iſta referri.
Doctrinæ ſiquidem cauſa ſunt edita ſigna,
Quam confirmatam de ſe Deus eſſe volebat.
His etiam rectè adſcribas oracula vatum,
Quæ tibi Meßiam monſtrant, certoq; reuelant
Imperiorum quæ fuerint ſerieſq; viceſq;,
Reſpondet quibus euentus ratione probata.
Amoides partum prædixit virginis, atq;
Vulnera Meßiæ, crucis ingenteſq; dolores,

Verbis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Verbis tam claris, vt qui legit iſta putârit
Quòd velut ante oculos ſibi adhuc verſetur imago
Innocui rigida pendentis in arbore Chriſti,
In medio ſæua dignorum morte latronum.
Prædixit Daniel tempus certo omine vates,
Et penè articulum ſignauit temporis ipſum,
Paßio Meßiæ ſub quo ſucceßit acerba.
Teſtificante locum monſtrauit voce Micheas,
Eſt vbi promiſſus Meßias virgine natus,
De imperijs verò cum ſint notißima cunctis
Quæ retulêre pio conſenſu oracula vates,
Non opus eſſe puto recitare ea carmine longo:
Cumq́ eadem verè reſq́ euentuſq́ probârint
Omnia, quis dubitet reliquam veram eſſe piorum
Doctrinam vatum, ſtudio quæ ſparſa fideli eſt.
Deinde huc prima quidem doctrina accedit & illa,
Quam vera ratione probat longæua vetuſtas.
Prima atq; antiquißima, ſunt verißima, quæq́,
Poſterius ſed quodq; nothum plerumq; videtur.
Scripta autem, planum eſt, eſſe antiquißima Moſis,
Atq; prophetarum monumenta, quòd hiſce relata
Sit doctrina Dei, qua nulla vetuſtior extat
In ſcriptis veterum ſeu græcis ſiue latinis.
Lex etenim Moſis reliquis antiquior vna
Omnibus eſt, quocunq; ferantur nomine ſcriptæ.
Vlla nec hiſtoria eſt, quæ mundi exorſa recenſet,

Anno.

Annorumq; refert ſeriem perfectius illa,
Fatidicus nobis quam vates rettulit olim.
Hoc facilè hiſtorias apparet cuiq; legenti
Graiorum veterum, qui exordia prima ſuorum
Scriptorum referunt, ad res in Perſide geſtas.
Eloquij princeps latij celeberrimus, inquit:
Quò propius fuerint homines ab origine prima,
Hoc melius cernunt, quæ ſit ſententia vera,
Quam de diuinis amplecti rebus oportet.
Illa igitur cum ſit vox antiquiſsima, vatem
Quæ per legiferum ſparſa eſt, reliquoſq; prophetas
Tradita, nil dubites quin ſit veriſsima ſola.

Hinc doctrinarum quæ ſit collatio ſpecta.

Particulam retinent gentes tantummodò legis,
Sed ſunt amplexi manifeſtos inde furores,
Contra iuſſa Dei, & præcepta ſeuera Tonantis.
Non Euangelij norunt ſacra dogmata læti,
De ſummis Chriſti meritis, hominiſq; ſalute:
Ignorant etiam cauſas ſceleriſq; neciſq;,
Nec medium quærunt ea quod mala tollere poſsit.
Comprobat hoc hominum confeſsio multa ſophorum:
Vtraq; at in cætu manſit doctrina piorum
Integra, nimirum lex & promiſsio certa,
De mediatore & benefactis illius amplis:
Hìc etiam viguit certiſsima norma, malorum
Summorum monſtrans cauſas, mediumq; reuelans

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Quo tolli poſſent eadem mala morſq; ſceluſq;.
Spiritualis ad hæc, addi experientia debet,
Luxq; in mente ſua, quam quiſq; videtur habere.
Nanq; Dei verbo quorum pia corda reguntur,
Quorum etiam mentes diuinum pneuma gubernat,
Maxima percipiunt ſolatia ſenſibus imis,
Quæ ſcelus & mortem vincant, teſtante propheta,
Qui canit: hoc eſto rebus ſolamen in arctis,
Quòd tua verba DEVS ſint portus & aura ſalutis.
Hæc igitur teſtis quæ in mentibus eſſe piorum
Perſpicitur, non eſt res parua leuiſq; putanda.
Porrò hîc ſupplicij offertur perpeſsio conſtans,
Martyres affecti quo ſunt pietatis amore.
Cum fuerint homines ſani, non propter inanes
Fabellas, mihi crede, tot in ſua corpora mitti
Suſtinuêre graues cruciatus mortis acerbæ.
Additur hîc etiam nunc conſeruatio demum
Perpetua illa pij gregis, incrementaq; mira
Doctrinæ varijs ſub caſibus atq; ruinis
Regnorum mundi, & per tot diſcrimina rerum,
Sunt quibus euerſæ genteſq; vrbeſq; celebres.
Sicut ſpuma tumens ſcopulis alliſa fragoſis
Diffluit, & rapidas diſiecta reſultat in vndas
Cum ſcopuli immoti ſtent ipſi pondere firmo:
Sic ſtat veſanis Eccleſia quaſſa procellis
Firma, ſonans vero cœleſtia dogmata ſenſu.

Manſit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Manſit adhuc ſtabilis, deincepſq; immota manebit
Nunc maior, nunc & minor ad finem vſq; ſupremum.
Poſtremò ſuper his, hominum ſtat pœna malorum,
Qui vano aduerſus dominum fremuêre tumultu
Tramite de recto furijs immitibus acti,
Hoſtes lethiferi penitus veriq; boniq;:
Vt ſunt hæretici ſontes, ſæuiq; tyranni,
A quibus eſt multum vexata Eccleſia ſeclis
Omnibus, ac ideo fatis periêre cruentis,
Iræ iudicioq; Dei ſubiecti, vt apertè
Ex mundi hiſtoria oſtendunt exempla petenda.
His igitur gradibus verum teſtantibus, eſſe
Pectora confirmata decet, menteſq; piorum,
Contra Epicuræos faſtus, Erebiq; furores:
Ne ſe doctrina auelli patiantur ab illa,
Quæ patefacta Deum monſtrat, benefactaq; Chriſti
Summa refert, quæ ſunt æternæ munera vitæ.
Reſtat vt his demum monſtretur in omnibus vſus:
Vſus quippe bonus ſua reddit pondera rebus.
Eſt ad cœleſtem deuincta Eccleſia vocem
Fœdere perpetuo, materna vt fœtus in aluo
Hæret membranæ, χόριον dixêre pelaſgi:
Nam Deus haud aliter vult noſci, alitérue vocari,
Quàm ſicut verbo ſeſe patefecit aperto.
Quarè Iſraëlis de fonte haurire iubemur,
Doctrinæ genus haud dubium, de lege ſeuera,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Et fidei articulis, hoc eſt vt clarius addam,
Ex teſtamenti ſcriptis veteriſq; nouiq;,
Vaticinis & apoſtolicis, ſolatia firma,
Ac certas vitæ normas quæramus honeſtæ.
Nec moueat mentes noſtras ſpeculatio vana,
Quando Deus quærendus erit, quòd nil aliud ſit,
Quàm fatuus noctu volitans ſub nubibus ignis,
Sæpe viatores peruerſo tramite ducens
In loca deuia, & exitialis plena perîcli:
Sic volitant errore vago, qui numine iactant
Diuino afflatos ſeſe, raptuſq; furenter
Expectare iubent violentos, vnde ſalutis
Ac fidei ratio ſine ſcripta voce petatur.
Hi procul à verace Deo, ſine mente vagantur
Deq; vocandi ipſum vera ratione feruntur,
Somnia ſponte, ſibi quæ fingunt, vana ſequentes
Præſtigiaſq;, animis ſtygius quas ſuggerit hoſtis.
At nos diuino cum pſalte precemur ouantes,
Qui cupimus verbo firmari & flamine ſancto.
Pro bonitate Deus famulo fac mitis vt adſis,
Et tua me mandata doce pietatis amantem:
Sum tibi ſeruitio deuinctus, da mihi mentis
Iudicium melius, tua iuſſa beata requiram.
    Hæc ſuper ætherei patefacto numine olympi
Arcano ex adyto, & diuina voce recluſa:
Quippe opere immenſo ſummæ bonitatis in orbe
Huma-

Humanæ exhibitæ genti virtute potenti,
Atq; illuſtribus indicijs, modulamine muſa
Agreſti tenuis cecinit, quæ grata peropto
Omnibus eſſe, ſacræ qui ſunt pietatis alumni,
Et quorum inducta eſt melior ſententia menti,
Quoſq; mouet ratio fidei, æternæq; ſalutis.
Quod ſuper eſt, ſuperi tanta hæc benefacta parentis
Grati agnoſcamus, meritoq; feramus honore.
Pectora noſtra regat, numen cœleſte precemur,
Rectè vt in æthereo verbo erudiamur, & inde
Normam viuendi, iuſteq; pieq; petamus,
Hoc in præſenti ſeclo virtutibus aucti,
Quæ cœlo placeant, velut argumenta fauoris
Gratuiti, quem viua fides fulcimine verbi
Nixa, tuis meritis inſcribit Chriſte beatis.
Tu generis noſtri reparator & vnice tutor,
Tu via, vita, ſalus, æternum gloria in æuum.
Propitio æterni nos imbue numine patris,
Numine propitius veniens mediator eodem:
Et ſacri flatus in nobis munus adauge
Saluifico motu, votis ardentibus vnum
Propitiatorem veniam te poſcimus omnes.
Ad te ſponte vocas peccati mole grauatos,
Atq; onere oppreſsis promittis dulce leuamen
Si doleant, veniamq; petant, ſcelus omne remittis.
Nos miſeros ad te venientes reſpice clemens,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Ante oculos nobis ſceleris verſatur imago,
Pœnitet errati nos, & peccata fatemur.
Ipſe bonus mitiſq́ veni, & dignare parentem
Offenſum vitijs noſtris placare rogando;
Ipſe etiam facilis flecti & placabilis iræ,
Fac nos exorare patrem, facilemq́ bonumq́,
Qui non vult hominis polluti crimine mortem:
Sed magis vt ſeſe emendet, vitaq́ fruatur.
Delictis parcat te propter, & ignibus atris
Immemor offenſæ abſtineat, neq́ ſæuiat ira
In nos ob ſcelus accenſa, cladem q́ minante:
Nec velit exigere in curſu properante furoris
Pœnas, quas vitijs cumulauimus vndiq́ noſtris.
Sed placido aſpiciat vultu nos, atq́ fauore
Complecti patrio dignetur, propter amorem,
Quo te dilectum natum complectitur, & quo,
Ipſe patrem complecteris, & nos efficis illi
Simus vt accepti, ſi quando errata fatemur,
Ac ea lugemus, per te veniamq́ rogamus:
Quando etiam vitæ ſtudijs melioribus vſum
Emendare, operam damus, & pietatis amorem
Pectoribus colimus noſtris, verumq́ timorem
Exercere fide ad tua iuſſa verenda ſtudemus.
Deniq́ quando crucem ferimus patienter, & æquo
Res contra aduerſas animo feruentius imus,
Æthereum ſpe poſcentes meliore leuamen.

Spiritus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Spiritus ille tuus nos recto tramite ducat,
A vero mentes ne deuius abſtrahat error,
Ad tua verba actus & greſſus dirige noſtros,
Vt ſcelus haud vnquam nobis dominetur iniquum.
Aſpectuq́ pater per te placatus amico,
Et ſine fine æquus culpis ignoſcere noſtris:
Ipſe memor ſecum reputet, quàm concita noſtræ
Tempora prætereant vitæ vicina periĉlis,
Vndiq́ lethiferis inſtantibus, indice cœlo,
Et tota rerum natura teſte ſtupenda
Verſa in ſigna, metum quæ inducunt mentibus ægris.
Inſidijs ſtygij nos eximat hoſtis iniquis,
Vimq́ minaſq́ premat, quibus iſte malignus vbiq́,
Omnia in immanem ſatagit mutare ruinam.
Mitiget ærumnas, angores leniat ægros,
Amoueat plagas, auertat triſtia bella,
Sæua periclâ fuget, nec damnis damna rependat.
Diſcordes animos faciat coaleſcere, morbos
Pellat lethiferos, peſtemq́ famemq́ malignam,
Aëris immitem vultum, pluuijſq́ madentem,
Planè inconſuetis, & tempeſtatibus auras
Intempeſtiuis mixtas, lachrymabile cœlum
Iræ nempe grauis ſignum, fatiq́ futuri
Indicium propter ſecuræ crimina gentis,
In faciem clemens verſa vice mutet amicam.
Et mala multa alia impediat, quibus vltima mundi

Ætas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Ætas ad finem curſu properantis, abundat,
Grex pius in varijs ſparſus regionibus orbis
Quo circumfuſis tellus ſe porrigit vndis,
Hoſpita tecta habeat te dante & pace fruatur,
Numinis vt monumenta tui ſine fraude requirat,
Nominis atq; tui celebret præconia ſancti:
Et tua iuſſa colat, patefactaq; ſcita ſequatur,
Latius ad ſeros tranſmittens illa nepotes.

Oris verba tui, rex, fallere neſcia, Chriſte,
Cum ſint æternæ manifeſta oracula vitæ,
Dulce ſalutis iter monſtrantia numine vero,
O etiam nobis his in borealibus oris,
Tradita ſyncerè, & ſine vano cognita fuco,
Sint contra errores ceu murus aheneus iſtos,
Quos nunc turba furens paßim ſerit atq; tuetur,
Mordicus humanis rationibus vſq; reſultans.

Oris verba tui, vitæ verba atq; ſalutis,
Pectoribus noſtris radicitus inſita robur,
Ac vires addant animis, & neſcia flecti
Promißi ſyncera fides, his nixa, malorum
Victrix cunctorum duce te victore triumphet.
O tibi cum ſit ſumma Deoq; hominiq; poteſtas,
Et moderere manu terramq; polumq; potenti,
Patri Spirituiq; ſacro par numine, honore,
Imperio, virtute & maieſtate perenni.
Deniq; cum non ſit tua clauſa potentia fine:

Ipſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Ipſe hoſtes compeſce tuos, ipſe impia ſterne
Agmina, quæ furijs agitata, & numine læuo,
Oppgunare audent magnis te motibus, & vi:
Vt decus alme tuum maieſtatemq́ verendam
Imminuant, ſpolientq́ tuo te prorſus honore:
Dum te ignominia afficiant, nec digna relatu
In cœlum cumulant conuicia, & aſpera dictu
Bella pio important generi, furialibus auſis,
Excidia vt noſtræ fidei inſtrumenta parentur,
Incipiantq́ bonæ mentes diffidere cauſæ.
O tibi dilectum ſecreto numine cætum
Aſſere ab inſidijs, & ſacri lumine flatus
Illuſtra, atq́ tui tutum ſub nominis vmbra
Cuſtodi, ne fraude ſcelus, ne robur apertè
Exitium ferat, & trahat irreparabile damnum.
O rex Chriſte Deus, cui rerum ſumma poteſtas,
Et per quem reges rerum potiuntur in orbe,
Et ſine quo non eſt homini permiſſa pateſtas:
Regem quippe Dei noſtrum ſine fraude timentem,
Dum tua deuoto ſectatur pectore iuſſa,
Et felix placida populos in pace gubernat,
Robore præſidij valido cœleſtis adauge,
Et vim contra adhibe ſacro diademate cinctum:
Et dextræ virtute tuæ defende potenti:
Vt colat incolumis, ſeros & ſeruet in annos
Doctrinæ ſtudium ſynceræ relligionis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Cuius amore fouet diſcentes atq; docentes:
In templiſq; ſcholiſq; ſuæ ditionis, & ampli
Imperij, abſq; malo tua iuſſa errore tuetur.
O viuat felix animi, te dante, nec illum
Impia ſacrilegæ flectat contagio turbæ,
A veriq; boniq; via, ſed iura miniſtret
Sacra pio populo, recti ipſe aſſertor & æqui:
Sceptra ſecunda regat nulli pietate ſecundus:
Et ſaluo conſiſtat eo reſpublica ſalua.
O etiam regi iunctam de ſtemmate magno
Vxorem cum prole ſua dignare tueri,
Regia progenies vt ſalua ſit, atq; ſuperſtes
Incolumiſq; diu regnet pietatis alumna,
Et videat ſeros generoſa propago nepotes.
Inſuper & proceres ſublimi è ſtirpe profecti,
Inclytus ampli etiam regni ſacer ordo ſenatus,
Atq; Magiſtratus reliquus, quem vexit in vſus
Magnos rara fides, ſolertia gnara, probati
Vitæ actæ mores, mens recti conſcia, iuſti
Iudicij ſtudium, confeſsio libera veri,
Falſi & iniqui odium, iuris moderatio ſummi,
Integritatis amor, cauſæ defenſio iuſtæ,
Sæuitiæ, triſtiſq; odij depulſio honeſta.
O vtinam ſint ſalui om̄nes, verumq; timorem
Exercere Dei, tali ratione laborent,
Gratia præcipuè qualem diuina miniſtrat:

Offi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Officijſq́ pijs ſatagant ſeruire Tonanti,
Pectore deuoto profitentes nomen Ieſu.
Iuſticiæ & fidei fructu ſint diuite pleni,
Scilicet vt ſemper, quæ ſint meliora ſequantur.
Deniq́ in ordinibus regni ſtatibuſq́, beata
Pax maneat, pietas regnet, concordia conſtet,
Dulcis & vnanimi vigeat dilectio ſenſu,
Pectora ſyncero quæ mutua iungat amore.
Sit ſtudium cunctis commune, ſit vna voluntas
Menſq́ eadem ſeruire alijs, alioſq́ iuuare
Officio ac donis, quæ è cœlo gratia fundit.
Munere quiſq́ ſuo fungatur numine fauſto,
Siue miniſterio præſit, verboq́ ſalutem
Perficiat, tradens fidei myſteria ſanctæ:
Siue bonas doceat, diſcatue fideliter artes,
Quæ ſunt humanæ decus ornamentaq́ vitæ,
Sancta quibus pietas multos ſeruatur in annos,
Sic gerat officium, ſtudijſq́ accommodet vſum,
Vt paßim florere ſcholæ & collegia poßint,
Et ſtudium proſit quod verba & facta gubernet.
Porrò quiſq́ ſui officij ſic partibus inſtet,
Siue aliâs præſit, ſeu pareat, atq́ miniſtret,
Siue potens opibus ſit, & auctus honoribus amplis,
Siue habeat minus, & ſorte inferiore fruatur,
Siue ſit œconomus, gregis & prouiſor egentis,
Siue parens cui res & turba domeſtica curæ,

Siue opifex manuum quærens alimenta labore,
Siue opus artificis ſolerti indagine tractet,
Siue vehat merces huc mercurialis & illuc,
Deniq; ſiue ſit agricola, & quacunq; fruatur
Tandem ſorte alia: ô obeat ſic munia vitæ,
Vt mala vitentur faciendo, & recta gerantur:
Atq; operas tanto faciat conamine iuſſas,
Vt decus officio niteat virtutis in omni,
Et pietatis opus creſcat, ſtudiumq́; laboris
Gratia promoueat cæleſtis, & augeat vſum
Fructibus, æthereo benedictio plena fauore.
Simus ita affecti, & curam vigilemus in illam
Omnes, Chriſte tuo qui ex nomine nomen habemus,
Atq; tuis ita pollicitis, meritiſq́; fruamur,
Vt capiamus ab his veræ incrementa ſalutis.
Sic benefacta tua agnoſcemus maxima, & illa
Omnem per vitam noſtram ſuper aſtra feremus.
Sic tua conſenſu parili decreta ſequemur,
Sic tibi reddemus grates, laudeſq́; canemus,
Sic nomen numenq́; tuum, præſenſq́; potenſq́;,
Perpetuò grati & memores tollemus honore.
Poſtremò cum iam iam tempus & hora propinquet
Iudicij extremi, ſigna vt manifeſta videri,
Plurima teſtantur, quæ præceſſura docebas
Eſſe diem ſupremum illum, ſupreme redemptor:
O igitur venture veni, venienſq́; paratos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Fac nos inuenias, te corde atq; ore profeſſos,
Amplexoſq́; fide promiſſa beata tenaci,
Et ſpe firmatos: animis gaudere leuatis
Vt valeamus, & ante tuum conſtare tribunal
Mœroris penitus vacui, experteſq́; pauoris,
Præmia pro meritis quando vnicuiq; rependes,
Quippe tuis freti meritis, & luce fauoris
Clementi illuſtres, doniſq́; ſalutis adaucti,
Nempe tuam læti faciem ſine fine tueri.
Chriſte tuo his votis precibuſq́; in nomine factis,
Gratia conſurget terris, & gloria cœlis.
Ergo vacemus eis ſemper, tua ad atria ſancta
Voce ſalutifera, & ſupera bonitate vocati
Qui ſumus, & quorum pia mens aſpirat Olympo.
Æterno cœli Domino, qui trinus & vnus,
Numine & imperio regit omnia in orbe potenti,
Sicut ſe nobis ſupera patefecit ab arce,
Immenſa bonitate, ſalutiferoq́; fauore,
Et manifeſtis indicijs, ſit & omnia ſêcla
Sêclorum, æterno cum nato, & flamine ſancto,
Laus, honor, imperium, virtus & gloria in æuum.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 710 4° copy 2